



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An & qualis suspensio contrahatur per simoniam commissam in ordine, vel beneficio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tumpensiones, aut officia &c. & non excuset ignorantia.

§. III.

An & qualis suspensio contrahatur per simoniam commissam in ordine, vel beneficio.

Ordines conferens per simoniam completam, spectato jure communi Decretalium, ipso jure est suspensus à collatione quorumcumque ordinum, saltem per triennium, ut patet ex c. *Si quis 45. h. t.* & qui simoniam commisit praesentando ad ordines, ad certum tempus suspensus est ab executione ordinum; ordinatus vero per talem simoniam suspensus est ab ordine sic suscepto, donec à sede Apostolica cum illo fuerit dispensatum, nisi sine culpa ab ipso commissam, simonia intervenisset c. *De simoniace 22. h. t.* cum nulla debeat imponi poena, ubi nulla culpa est. Severius adhuc simoniace ordinantes, & ordinatos punit Sixtus V. in suo motu proprio, & contra eos loquitur *Glossa hinc V. remanere.* hodierna tamen praxis non videtur rigores hos recipere.

Qui vero beneficium obtinet per simoniam commissam & completam, nullam quidem suspensionem propriè dictam incurrit, nec conferens illud, nec accipiens, cum in jure nulla expressa sit, quia tamen excommunicatus est, consequenter ab omni etiam officio, ordine, & beneficio suspensus est, donec ab excommunicatione absolvatur.



§. IV.

An praeter praedictas censuras sit alia poena Canonico jure decreta in Simoniacos?

Sunt & aliae poenae, & quidem plures, quia tamen poenarum talium ratio praxis est, eò quòd Simonia va hodie locum pluribus videatur habere, hinc ad Auct. Method. eum remitto, qui poenarum harum cupit habere notitiam. Vt etiam §. 5. videre est, quis in his poenis dispensare possit.

SECTIO VIII.

De obligatione restituendae ea, qua per Simoniam sunt accepta.

§. I.

An, & cui pretium Simoniacè acceptum sit restituendum?

Qui accipit pretium temporale pro spirituali, pro sacro v. g. calice, reliquijs auro & argento ornatis, Simoniacè quidem, non tamen iniuste, eò quòd jus temporale annexum v. g. spirituali, suam aestimabilem pro pretio commoditatem habeat, non tenetur de jure naturali, aut divino, ad ullam restitutionem faciendam, modò quòd Simoniacè accepit, rei temporalis spirituali aemulatae aestimabilitatem non excedat, eum in tali casu graviter quidem contra religionem peccetur, non tamen contra iustitiam, obligatio autem restituendae oritur praecisè ex laesa iustitia. Si tamen non restituerit